Jesus, Maria, Joseph cum Sanctis Tutelaribus.

PRO
GISMUNDO BOFFILL
CIVE HONORATO BAR-CINONÆ, ET V. I. D.

CUM
NOBILI MARIA DE FARNES
VIDUA NOBILIS LAURENTIJ DE FARNèS.

SUB INTEGERRIMO EXAMINE LITTERATISSIMI Senatoris Nobilis Josephi de Pastor, & Mora.

In actis Texidor Nott.

1 NOBILIS Ioannes Camps suo vltimo, & valido, quod condidit testamento 11, Octobris 1637. in posse Francisci Eva Not. pub. Villæ Castilionis de Farfanya, posquam instituit hæredem suum vnïversalem vxorem suam Nobilem Eulaliam Camps, cum pactis, conditionibus, & gravaminibus in eo expressis, & inter alia dictam institutionem explicavit hac clausula nativo idiomate: *Ab tal empero pacte, gravamen, y condiciò, que ans de morir, ò convolar à segonas nupsias aja, y tinga obligaciò de disposar de mos bens en favor dels fills meus, en aquell, que millor li aparexerà, y millor la obligarà de la manera, y modo, pars, y porcions, y ab los pactes vincles, y condicions, que ella dita Dona Eularia, voldrà, y manarà: E si acas serà, que los dits fills meus lo die de la disposiciò de Dona Eularia farà de mos bens tots*

seràn morts, ò altrament no poràn esser hereus meus, en tal cas tinga obligaciò dita Dona Eularia hereva mia disposàr de dits mos bens, en favor de vna de las fillas de ma Germana Dona Albinia nomenadas Francisca, y Maria. Y tambe dexàr, y llegàr al hereu que serà de ma Germana Dona Geronima Boffill mil lliuras vna vegada tantsolament.

2 Postea, mortuo Nobili Ioanne Camps testatore, dicta Nobilis Eulalia Camps in sua vltimæ voluntatis dispositione, quam fecit, & ordinavit die 14. Ianuarij 1656. in posse Francisci Reverter not. pub. Barcinonæ post institutiones Iacobi, Francisci, & Maginæ Filiorum ejus, & dicti Nobilis Ioannis Camps substituit, & fideicommissum particulare ordinavit in favorem hæredis Nobilis Hieronymæ Boffill hac clausula sequenti, ibi: *E si la dita Dona Magina Camps filla mia à mi, y à dit son Pare hereva no serà, perçò que no voldrà, ò no porà, eo à mi, y à dit son Pare hereva serà, mes morrà quant que quant à ella substituesch, y à mi hereus vniversals substituesch, ço es quant à la heretat, y bens del dit quondam senyor Don Joan Camps mon marit, es à saber: en quant à mil lliuras per vna vegada tantsolament al hereu que vuy es, y serà lo dia de ma fi de la quondam Dona Geronima Boffill.*

3 Decessit Nobilis Eulalia Camps 21. Ianuarij 1656; & quia Nobilis Iacobus Camps primo gradu in testamento Nobilis Eulaliæ Camps hæres institutus, fuit constitutus in sacris Ordinibus, & Archidiaconatum Sanctę Ecclesiæ Barcinonencis obtinuit ob expressam Testatricis in hoc casu hęreditatis privationem hęreditas transibit ad Nobilem Franciscum Camps secundogenitum, & secundo gradu hæredem institutum, visus que fuit toto tempore vitæ vniversam hæreditatem, & bona Nobilis Ioannis, & Eulaliæ Camps suorum parentum pacifice possidere, vt ex depositionibus quinque testium super 11. articulo de oblatis pro hac parte die 12. Novembris 1689. ministratorum est manifestum.

4 Tandem præmortua Nobili Magina Camps Moniali professa Monasterij Sancti Petri Puellarum præsentis Civitatis, vltimum diem clausit Nobilis Franciscus Camps nullis relictis filijs legitimis, & naturalibus super viventibus: Vnde apertum fuit fideicommissum particulare de mille libris in testamento Nobilis Eulaliæ Camps ordinatum in favorem hæredis Nobilis Hieronymæ Boffill, qualis est pars hæc Doctoris Gismundi Boffill Civis honorati Barcinonæ, vt constat ex testamento dictæ Nobilis Hieronymæ Boffill eius matris, in posse Hieronymi Talavera not. pub. Barcinonis 9. Ianuarij 1651: Et cum Nobilis Maria de Farnès, vidua Nobilis Laurentij de Farnès proprietario nomine possideat vniversam hæreditatem, & bona quæ fuerunt supramemorati Nobilis Francisci Camps, vt ex depositionibus trium testium per hanc partem, super articulo 29. ministratorum constat, competere actionem dicto Doctoris Gismundo Boffill ad petendum dictum fideicommissum particulare mille librarum à Nobili Maria de Farnès ante dicto nomine.

5 Hinc oritur difficultas, quod ex quo Nobilis Don Ioannes Camps solum dederit facultatem Nobili Eulaliæ Camps vxori suæ disponendi de mille libris vna vice tantum in favorem hæredis Nobilis Hieronymæ de Boffill in casu quo filij dicti Don Ioannis Camps testatoris, è vivis jam decessissent die qua Nobilis Eulalia Camps de illius bonis in vim facultatis electivæ sibi datæ disponeret, an per hoc corruat hoc fideicommissum particulare de mille libris, ob defectum non purificatæ conditionis, & superviventiæ filiorum dicti Don Ioannis Camps testatoris. Non, inquam, in hoc versari potest difficultatis cardo; quia non defenditur hoc fideicommissum ex testamento, & voluntate Nobilis Ioannis Camps volentis, quod ita demum hæredi Nobilis Hieronymæ Boffill relinquerentur millæ libræ pro vna vice tantum, si tempore electionis, & dispositionis factæ per Nobilem Eulaliam Camps, filij Nobilis Ioannis Camps testatoris jam è vivis migrati fuissent: sed defenditur fideicommissi validitatem ex potestate, quam habebat Nobilis Eulalia Camps gravandi electum, & apponendi ei vincula, etiam in favorem extraneorum, tum propter facultatem ei expresè concessam apponendi vincula, & conditiones *sibi benovisas*, tum propterea, quia electo reliquit multa bona propria gravamini commensurabilia, vt in hoc discursu late demonstrabitur.

6 Et quamvis defenderetur validitas huius fideicommissi particularis ex testamento, & voluntate Nobilis Ioannis Camps testatoris, adhuc in suis viribus fidei-

commis-

commissum subsisteret; eo scilicet fundamento; quod in materia electionis est magis recepta opinio, quod gravatus de eligendo, cui libera, & ampla eligendi facultas concessa est, ordinem à Testatore præscriptum servare non tenetur, *l. vnum ex familia 69. §. si de falcidia, ff. de leg.* 2. vt post Bart. Bald. Paul. de Castr. Imol. & Petr. de Peralta *ad d. l. tenet*, Molina *de Primogen. Hispan. lib.2. cap.5. num.4. & 5.* Fontanel.*decis.525. & 526. tom.2.* Nob. Senator Don Bonaventura de Tristany *decis.54. nu.5. tom.2.* Paz *de tenut. cap.34.nu.105.* & post eum cum multis novissimè Ioannes Torre *de majorat. cap.27. num. 18.* Ex quo infertur, quod cum Nobili Eulaliæ Camps concessa fuerit ab eius viro libera, & ampla facultas apponendi filio electo gravamina, & conditiones, *quas vellet, & jubebit*, vt ex dicendis in hoc discursu liquefiet, benè potuit dicta Nobilis Eulalia Camps non sequendo conditionem appositam à Nobili Testatore de præmorientia suorum filiorum relinquere fideicommissum mille librarum hæredi Nobili Hieronymæ de Boffill.

7 Vnde ex clausulis prædictis, duo visum fuit oriri dubia, quæ validitatem huius fideicommissi particularis obnubilare nequeunt.

PRIMVM DVBIVM.

8 PRimum dubium est, vtrum Nobilis Eulalia Camps potuerit apponere vincula,& gravamina filio à se electo in favorem extraneorum non eligibilium. Et quamvis regula sit in ore DD. communiter prolata, quod ille, qui habet facultatem eligendi, solum possit in actu electionis apponere vincula, & gravamina electo in favorem eligibilium, non autem in favorem extraneorum, *d. l. vnum ex familia 69. §. sed qui fundum, ff. de legat.2.*; Tamen regula supradicta patitur hanc limitationem scilicet, quod quando in facultate eligendi est data, vel reservata facultas expressa apponendi vincula, & gravamina *benevisa*, potest ea facultate vti eligens, nedum respectu eligibilium, sed etiam respectu cujuscumque extranei. Hancque limitationem cognoverunt feré omnes DD. qui supra dictam regulam firmarunt, quorum, qui majoris nominis,& notæ connumerantur,vt brevitati consulam recensebo.

9 Aurea sunt in primis pro nostro proposito verba Iacobi Cancerij 3. *part. var. cap. 7. num. 375.* vbi dicit: *Vnde cum postea filius electus decesserit sine filijs, & virtute vinculi appositi tempore dictæ electionis, quod fieri potuit, quia hæreditamentum fuerat factum sub pacto, & conditione, quod pater posset filio per eum nominando injungere gravamina, & conditiones ei benevisa: nam alias eligens, cum sit nudus minister in eligendo nullum gravamen posset imponere illi, quem elegit, nisi esset in favorem illorum, qui etiam eligi poterant, vt tradidi supra num. 119. dicta bona pervenerunt libera ab onere dicti hæreditamenti ad Patrem.*

10 Clarioribus verbis Petrus Ioannes Fontanella, qui ex proposito agitans nostram questionem *in decis.467. num.18. tom.2. in num.22.* sic resolvit: *Et licet hæc meo judicio essent clara, & manifesta, non defuerunt tamen, qui in Senatu voluerunt de eis disputandum, per suam contradictionem signanter in vna D. Francisci de Argensola, contra Nobiles conjuges Dardenas, ad relationem egregij Senatoris Hieronymi Guerau, atque ita fuit declaratum Sententia lata 21. Februarij 1631. scriba Hieronymo Bosch, vbi fuit expressè dictum, quia facultas non fuerat concessa limitatè, vt inter filios vincula possent apponi, sed generaliter de vinculis benevisis fuerat loquutus Testator, ideo licitum fuisse eligenti apponere vincula in favorem aliorum, atque ita in favorem dicti D. Francisci, qui non erat de illis filijs.*

11 Acutiori calamo idem ibidem *num.23.* sic scribit: *Disputabimus postea eundem articulum de anno 1633. ad relationem ejusdem Relatoris inter Magdalenam Iover, & Raymundum de Boxadós, & Cornet, & fuit similiter declaratum in favorem ejusdem prætentionis his verbis positis in sententia post enarratam contrariam prætentionem, quia tamen* (inquit) *hæc prætentio repugnat facultati expresè dicto Francisco per Ioannem Ludovicum patrem concessa, juxta cujus dispositionem facultas apponendi vincula, cum sit expressa, respicit favorem Francisci, & non eorum, qui poterant eligi,& consequenter vincula non sunt restringenda ad personas. Dies pronunciationis fuit 5. Februarij 1633. scriba Ioanne Payssa.*

12 Et ratio prædictæ limitationis eviseeratur, si attenté perspicitur, quod duplex

est electio; alia est electio, quæ confertur in liberam, & amplam voluntatem eligere debentis; & alia est electio, quæ confertur in arbitrium, judicium, & discretionem eligentis, vt post Molinam, & Fontanellam tradit modernus Ioannes Torre *de majorat. Italiæ cap.*27. *num.*2. & inter has duas species electionis hæc relucet differentia, quod electio collata in arbitrium, judicium, & discretionem alterius est facultas restricta, & moderata arbitrio boni viri *tex. in l. fideicommissa* §. *fideicommissum, vers. Quanquam de legat.*3. Iulius Capon. *controv. forens. controv.* 8. *num.* 28. *&* 29. Merlin. *decis.* 393. *num.*1. & alijs Torre *de majorat. d.cap.*27. *nu.*2. *&* 3. Electio autem liberé, amplissimé, & largé concessa nullis regulis, & limitibus restringitur Molin. *de Hispan. primog. lib.* 2.*cap.*5.*num.*14. doctissimé cum pluribus noster Fontanella *decis.*525.*num.*5.*tom.*2.: Vnde dimanat quod in facultate eligendi concessa cum expressa libertate apponendi vincula, & conditiones *sibi benevisas*, poterit eligens gravare electum, non solum in favorem eligibilium, sed etiam in favorem extraneorum; cum in hoc casu propter illam liberam facultatem apponendi vincula sibi benevisa eligens non est solum nudus minister, sed quemadmodum disponens reputatur, vt hanc rationem sic acutissimé insinuavit Iacobus Cancer *in loco jam citato var. part.*3. *cap.*7.*num.*375.

13 Ex quibus doctrinis, & rationibus motus noster perspicacissimus Senatus multoties judicavit in favorem dictæ limitationis: relictis enim quinque exemplaribus antiquis, quæ refert Fontanella *d. decis.* 467. de tempore nostro judicavit Senatus in causa Bonaventuræ Coll, & Guanter ex vna, & conjuges Belsolells, Llissaga, & Coli ex altera, Regia sentẽtia lata 23. Maij 1683. per Nobilem Iacobum de Potau Regium Senatorem, in actis Texidor not. cujus verba, quia omnem evanescunt difficultatem, referre decrevi, quæ talia sunt: *Cæterum (quidquid sit an filij dicti Hieronymi Sancerni sint per fideicommissum vocati per dictum Hieronymum Ioannem Coli, & Sancerni eorum avum) Attento ex ejus supra chalendato testamento constat dictum Coli, & Sancerni testatorem in commissione electionis concessisse dicto Hieronymo Ioanni Coli ipsius filio, & hæredi facultatem imponendi vincula, & gravamina sibi benevisa filio per eum eligendo, seu nominando, quo in casu constat potuisse dictum Hieronymum Ioannem filium, & hæredem excludere filios in sacris ordinibus constitutos, prout talis fuit dictus Canonicus Iosephus Coli, & substitutiones facere in favorem extraneorum, & consequenter in favorem Ioannis Coli ejus fratris, & eo præmortuo filiorum suorum.* Quo quid clarius pro nostra limitatione?

14 Applicamus nunc supra dictas doctrinas nostro casui, & præscrutemur attenté verba testamẽti Nobilis Ioannis Camps in illa clausula qua Nobili Eulaliæ Camps vxori suæ facultatem eligendi commisit: dixit enim Nobilis testator (vt jam in principio hujus discursus relatum est) quod Nobilis Eulalia Camps posset electo apponere vincula, & conditiones, quæ vellet, & jubebit, ibi: *Ab los pactes, y condicions què ella dita Dona Eularia voldrá, y manará*, quæ verba *vellet*, & *jubebit* sunt præceptiva, dispositiva, desiderium importantia, & amplam liberamque facultatem continentia, *l. omne verbum Cod. cõmunia de legat. l. in legatis Cod. de legat. l. etiam* 115. *de legat.*1. Borgnin. Caval. *decis.*18. *num.* 68. *tom.*3. Francisc. Redenasc. *cons.*29. *nu.* 33. *col.* 2. *vers. Beroius.* Marc. Anton. Peregrin. *de fideicommis. art.*1.*nu* 46. *&* 47.

15 De verbo *Volo* ita statuit Guido Papæ *decis.*475. *num.* 1. vbi ait: *Reperiuntur etiam quandoque hæc verba: quibus voles &c: & hæc etiam important liberam voluntatem, l. cum quodam in principio de legat.* 2. Nicolaus Garcia *de benefic. tom.* 1. *part.* 1. *cap.*2. §.1. *num.*85. qui plura dicit, Mennoch. *de arbitrar. lib.*1. *quæst.* 7. *à num.*5. & liberum arbitrium importat dictum verbum *volo*, Magon. *decis. Florent.*7. *nu.*5. *ex tex. in l. cum quidam de legat.* 2. *l. fideicommissaria libertat de fideicommissar.* & ex eo libera dispositio data, & tributa commissarijs censetur, *l.* 5. *de militar. testam. cap.* 1. & ibi Panormit. X. *de his quæ fiunt à majori parte cap.* Stephanus Gratianus *discep. forens. cap.* 73. *num.* 15. *&* 17.

16 De verbo *Iubeo*, sive *Præcipio* (quæ idem significant Barbos. *de diction. vsufrequent. diction.* 273.) importare imperium, præceptum, & vim legis docet Ant. Faber *in papin. tit.*6. *princip.* 1. *vers. Quod autem sic*: Quod tamen omninò alienum esset à majestate legis: cujus virtus in eo consistit, vt jubeat, vel vetet, vel puniat, non in eo etiam vt roget, *l. legis virtus* 7. *ff. de legib.* rogare namque ejus est, qui imperare,

vel

vel non audeat, vel non possit, quorum neutrum legi vlli convenit: qua de causa jus à jussu, seu jubendo dictum est, quia habet imperium, vt tenent Vvesembech. *in paratil. de just. & jur. num.* 4. Charond. 1.*verosimil.* 1. Consius *lib.* 2. *lect.* 6. Osuald. ad Donel. *lib.*1. *comm. cap.*4. *litt. A.* Langius *in polianthea novissim. verb. jus.*

17 Vnde cum generaliter quotiescumque ex verbis commissionis libera commissarijs etiam extraneis facultas disponendi, seu distribuendi conceditur, possint ipsi commissarij omnia facere, dummodo dolus, & dilapidatio cessent, *argum. l. si servus vestitus, ff. de legat.* 1. *l. creditor* §. *Lucius, ff. mandi. l. in venditione* §. *de tempore, ff. de bonis authoritate judic. possiden. l. contra juris* §. *fin. vers. Nam cum, ff. de pact.* Alex. *cons.*58. *num.*11. Guido Papæ *dict.decis.*475. *num.*2. notant DD. *in l. Imperator.*50.*ff.ad Trebell.* Simon de Prætis *de interpretat. vltim. volunt. lib.*4. *dub.*10.*num.*122.*fol.*351. sequitur benè, quod Nobilis nostra electrix D. Eulalia Camps virtute facultatis liberæ, & amplæ sibi concessæ apponendi vincula, quæ vellet, & *jubebit*, potuit d. Doctori Gismundo Boffill filio, & hæredi Nobilis Hieronymæ Boffill fideicommissum particulare de mille libris relinquere.

18 Aliam limitationem supradictæ regulæ generalis, quod scilicet eligens non possit gravare electum agnoverunt DD. qui materiam facultativæ electionis pertractarunt, & est, quod gravatus de eligendo potest onus, & gravamen imponere, quando elector multa bona propria, & à se adquisita gravato relinquit, quæ oneri imposito æquivalent. *Formalis tex. in l. vnum ex familia* 69. §. *sed si fundum, ff. de legat.* 2. vbi consultus quærens de gravamine apposito per eligentem electo in favorem extranei in hæc verba prorrumpit: *Dixi ita demum peti posse, si præterea tantum ei relictum esset, quod fundi pretium efficiat,* vt sic tenent post DD. *ad d. l.* Ant. Gam. *decis.* 70. *num.*2. & ibi ejus additionator Blasius Flores Diaz de Mena, Caldas Pereyra *de nom. emphiteut. lib.*3. *cap.*17. *nu.*6. Petrus Franciscus Tondutus Sanlegerius *quæst. civil cap.* 50.*nu.*37. & post eum Ioannes Torre *de majorat.cap.*27. *nu.*114.

19 Rationemque hujus limitationis jam adducunt DD. & est quia in tali casu electus voluntatem eligentis adimplere tenetur, ne bona propria sibi ab eligente relicta mittat. Tondut, & Torre locis supra citatis. Quibus Ego aliam ex alijs juris principijs addo, quod cum illum quem honorari possim onerare Mateac. *lib.* 2. *emitom. legat. cap.*1. *nu.*19. Petrus Anton. de Petra *de fideicommis. quæst.*5.*nu.*71. *& seq.* Osuald. ad Donel. *lib.*8. *com. cap.*7. *litt. D.* & cum res propria ipsius hæredis à Testatore legari possit extraneo, *l. vnum ex familia* §. *si rem de legat.*2. §. *non solum* 4. *cum vulgat. inst. de legat.* Bart. & DD. *in d.* §. *si rem,* Grassus *de succes.* §. *legatum quæst.*14. *num.*7. Antonius Gomez *var.*1. *cap.*12. *nu.* 14. & late cum decis. nostri Senatus Petrus Ioanne Fontanel. *de pact. nuptial. claus.*4. *glos.* 5. *à num.*32. inde sequitur, quod si elector relinquit bona sua propria electo, potest isti illi onera, vincula, & gravamina apponere.

20 Vnde cum ex meritis processus constet, quod Nobilis Eulalia Camps habens eligendi facultatem instituit hæredem ex suis proprijs bonis Nobilem Franciscum Camps filium suum electum hæredem in bonis Nobilis Ioannis Camps sui patris,& ex ijsdem meritis processus constet dictam Nobilem Eulaliam Camps multa bona propria habuisse, quæ ex vi dictæ institutionis ad dictum Nobilem Franciscum Camps pervenerunt, clarè liquet, quod dicta Nobilis Eulalia Camps bene potuit gravare hæredem electum in bonis Nobilis sui viri, ad dandum mille libras hæredi Nobilis Hieronymæ Boffill, sororis dicti Nob. Don Ioannis, præcipuè cum ex meritis processus non constet dictum Nobilem Franciscum Camps hæredem electum in bonis Nobilis Ioannis Camps, & institutum in bonis Nobilis Eulaliæ Camps confecisse inventarium de bonis, & hæreditate dictæ Nobilis Eulaliæ Camps matris suæ, quæ omissio inventarij multum influit, vt electus, cui bona propria ab eligente sunt relicta, ad onus, vinculum, & gravamen teneatur vt post Caldas Pereyram *de nomin. emphit. lib.* 3. *cap.*17. *num.*6. tradit Sanlegerius Tondutus *quæst. civil. cap.*50. *num.*39.

SECVNDVM DVBIVM.

21 SEcundum dubium est: vtrum per hoc quod hæres Nobilis Hieronymæ de Boffill fuerit substitutus in fideicommisso particulari de mille libris Nobi-

li

li Maginæ Camps filiæ Nobilis Ioannis Camps testatoris Moniali professæ Monasterij Sancti Petri Puellarum præsentis Civitatis, & caducatus fuerit gradus dictæ Nobilis Maginæ Camps per suam præmorientiam, obstet hæc caducatio hæredi Nobilis Hieronymæ Boffill immediatè substituto in suo fideicommisso particulari. Huic dubio incepit lucem dare noster Petrus Ioannes Fontanella in tribus decisionibus, scilicet *in decis.*45. *&* 160. *tom.*1. *& in decis.*589. *tom.*2. nam quamvis quęstio controversa sit inter DD. an caducato medio gradu personæ contentæ in sequenti gradu reponantur in locum personarum contentarum in gradu perempto, an vero gradus succedat in locum gradus, vt videre est apud Fontanellam, & DD. ab eo citatos *d. decis.* 45. *à num.* 1. Excellentissimum Vicecancellarium D. D. Christophorum Crespi de Valdaura *obser.* 41. *num.*19. quam superficialem vocat Aragonensis Sessé *decis.*262. *nu. vlt. tom.* 3. tamen certa regula est in jure communiter recepta, quod caducato medio gradu per præmorientiam non caducantur sequentes, sed remanet hæreditas penes gravatum, cum eodem onere restituendi, seu dandi immediatè substituto, vt post Sessé, Bellonum, Alexand. Ambrosin. Fusar. & Peregrin. citans docet Fontanell. *decis.*589. *num.*1.*tom.*2. & cum decis. nostri Senatus *decis.*160.*nu.*6.*tom.*1. Excellentissimus Dominus Vicecancellarius Crespi *obser.*41. *per tot.*

22 Vnde decipitur adversans, dum pro caducando nostro fideicommisso particulari se tuetur ex illa regula, quod per caducationem gradus præcedentis cæteri substitutionum gradus corruant; quia contraria regula verior,& receptior est, scilicet, quod caducato gradu præcedenti in substitutione fideicommissaria cæteri gradus sequentes non pereunt, cum sic defendent Anton. de Amato *var. resol. resol.* 40. vbi late hanc quęstionem ad partes disputans *in num.* 8. cum pene innumeris AA. tenet, quod caducato gradu præcedenti cæteri gradus sequentes non corruunt, cui additur Petrus Ioannes Fontanella *decis.*160.*nu.*4. *tom.*1. vbi tenet, quod caducato medio gradu vltimus sive sequens admittitur,& de hoc rationem quęrit, & adducit.

23 Nec adversans se juvare potest ex illa celebri quęstione per D.D. agitata an caducato medio gradu, sit caducata etiam conditio in eo adjecta, tanquam accessoria, an vero semper obstet substituto secundi gradus, vt nisi ea purificata nequeat admitti, quam ad partes disputat idem Excellentissimus Vicecancellarius D. Christophorus Crespi *d. obser.* 41. *à nu.* 4. Quia in nostro dubio non versamur in tali casu; propterea quia hæres Nobilis Hieronymæ Boffill non fuit substitutus Nobili Maginæ Camps sub aliqua conditione, quæ non fuerit purificata ob caducationem gradus, sed fuit substitutus sub conditionibus noluntatis, vel impotentiæ, quæ vltima non obstante caducatione fuit purificata, quia Nobilis Maginæ Camps propter suam præcedentiam non potuit esse hæres Nobilis Ioannis Camps testatoris, & sic nihil potuit nostro substituto obsistere prætensa caducatio, vnde cum non versamur in supradicto casu non est applicabilis talis quęstio.

24 Imò est applicabilis Regia sententia lata 22. Ianuarij 1683. referente Magnifico Iosepho Aleny, in favorem Eulaliæ Simon, & Pi, & contra Eulaliam Pi viduam, & Iacobum Pi, & Ameller agricolam, not. Melchior Cortès, his verbis: *Cum in vim substitutionis vulgaris in fideicommisso contentæ in compendiosa, cum qua fuit substituta reposita sit, & subingressa in locum,& gradum prima substituta caducatum,& in illo reposita consideretur, & habetur, ac si primo hæredi immediatè fuisset substituta; & gradus ille caducatus perinde habeatur,& consideretur, ac si numquam fuisset in rerum natura, nec de illo in testamento mentio aliqua facta fuisset,& in dicto gradu caducato ingressam successisse eodem modo quo successisset gradus caducatus, si caducatus non fuisset.*

25 Vnde cum in nostro casu in substitutione qua Nobilis Eulalia Camps substituit Nobili Maginæ Camps dictam Nobilem Hieronymam Boffill fueret compendiosa cum fueret in illis verbis: Quant que quant *&c.* in totum,& applicabilis regula à Senatu in dicta Regia sententia stabilita, & sic quamvis diceretur caducatus gradus dictæ Nob. Maginæ, non inde sequitur exclusum fuisse hæredem Nobilis Hieronymæ à successione dicti fideicommissi particularis quantitatis mille librarum.

Quare salvo semper &c. Barcinonę, & Novembris prima 1696.

SOLANES V. I. D.